

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In die festo protpmartyris Stephani

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

# In Die Festo Protomartyris Stephani.

*Evangelium, Matth. 32. v. 34. - 39.*

## EXORDIUM.

**S**piritualis sponsa, cœlestem sponsum suum commendatura, ita eum alloquitur: *Dilectus meus candidus & rubicundus, eminet inter decem millia,*

Cant. 5. 10.

His verbis pulchritudinem ejus delineat. Quando enim hominem formosum describimus, dicere solemus, est instar lactis & sanguinis. Sicut de Nazaræis dicitur: Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores coralliis, & sapphiro pulchriores, Thren. 4. v. 7. Respicit hoc ipso haud dubie vaticinium Jacobi, qui Messiam pari modo ita describit, quod rubicundiores sint oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores. Gen. 49. v. 12.

Potissimum vero *candidus & rubicundus est, ratione passionis & sanguinis profusionis.* Candidus color significat innocentiam ejus, non enim fecit peccatum, nec inventus est dolus in ore ejus. 1. Petr. 2. v. 22. & tamen pati & mori eum oportuit propter nos, ut indumentum ejus rubrum factum, sicut calcantium in torculari, Esa. 63. 2. Hinc Esaias: Vere languores nostros ipse tulit. c. 53. v. 4. 5. Hoc modo quoque intelligendum est, quod in prætorio Pilato non modo purpura: sed & in aula Herodis veste alba indutus fuit, Luc. 22. 11.

Sicut igitur alias sponsa & sponsum unicolore habitu se amicare amant: sic & nostrum erit hac in parte cœlesti sponso nostro conformes fieri, ut non tantum tem-

peranter, juste & pie vivamus, Tit. 2. vers. 12. sed & ejus gratia patiamur, quod nobis in hac miseriæ valle obvenire potest. Nam:

Per varios casus, per multa pericula  
rerum  
Tendimus in cœlum.

Christus sponsum sanguinum est, Exod. 4. vers. 26. Quicumque ejus amore frui vult, non iniquum reputet, si & ipse quandoque ad sanguinem usque repugnare teneatur, Hebr. 12. vers. 4. Ego enim dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ait ipse. Luc. 22. 29. Atqui pater ejus ita disposuit ei regnum, ut per passionem & mortem eum intrare oportuerit, Luc. 24. v. 26. ideo nos non melior fortuna manebit, quin potius per multas tribulationes oportebit nos intrare in regnum cœlorum, Act. 14. v. 22.

Eo procul dubio pii Veteres collinearunt, quando prælectum Evangelium feriis II. Nativitatis in Ecclesia explicandum ordinarunt, quo pii Christiani primo quasi intuitu conspiciere possint, quale Servator noster regnum habeat, nimirum regnum crucis, in quo nemo coronabitur, nisi legitime certaverit, 2. Tim. 2. 5. *Heri Jesus recens natus erat candidus,* ubi claritas Domini pastores Bethlehemiticos circumfulsit, & exercitus cœlestes certatim cecinerunt:

Glo-

Gloria in Excelsis Deo. *Hodie rubicundus eſt ratione perſecutionis*, quam non modo ipſe multariam ſuſtinuit: ſed & ab exordio mundi, omnes qui ad eum pertinent, experti ſunt, adhuc experiuntur, & porro experientur. Regula enim univerſalis eſt: Omnes qui pie vivere volunt, in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur, 2. Tim. 3, 12.

Nos ſine ulteriori præloquio ad Evangelium ipſum nos conferemus, tractaturi ex eodem:

I. Ἀνθρωπολογίαν ſive *notitiam noſtri*.

II. Χριſτολογίαν, ſive *notitiam Chriſti*.

JJ.

### Exegeſis.

**S**tēphanus ſignificat coronam, ſic nomen & nomen habet. Coronatus ſiquidem erat, præclaris donis à Deo. Sicuti enim Act. 6. v. 8. ſeqq. deſcribitur, fuit plenus fide, h. e. non modo Chriſtum cognovit ratione perſonæ & officii, fiduciamque ſuam in eo unice collocavit: ſed & donis miraculoſis inſtructus, propterea à populo celebratus fuit. Hoc male habuit Antiliſites Hieroſolymitanos, ideoque ſtudioſos quosdam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia & Aſia inſtigant, ut diſputarent cum Stephano: at non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritu, quo loquebatur.

Sic dignus fuiſſet Stephanus, ut aurea corona redimitus, & in ſummo honore habitus fuiſſet: Verum primus fuit, qui ob Evangelicam veritatem in Eccleſia N. T. interfectus eſt, ideo Hieronymus cum *primitiis Martyrum* & Auguſtinus *primicerium*, qui aliis viam ſtraverit, & facem prætulit, appellat.

Hoc ipſo ex parte impletum eſt, quod Servator noſter optimus de cruce, tribulatione & perſecutione fidelium ſuorum, præcipue vero verbi miniſtrorum prædixit, in prælecto Evangelio inquit: Ecce, ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes, & Scribas: & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequimini de civitate in civitatem.

*Notitiam noſtri* hic diſcemus, ſi ſpectaverimus:

1. *Chriſti amorem*, quem hoc ipſo erga nos demonſtrat, dum legatos ſuos, qui pro eo legatione funguntur, tanquam Deo exhortante per eos, 2. Cor. 5, 20. ad nos ablegat. Ecce, ego mitto, inquit, ad eundem modum ſicut apud Jeremiam dixerat: Dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina, c. 3. v. 15.

*Hic velim probes te, mi Chriſtiane! an hoc unquam grata mente agnoviſſis, Deoque tuo gratias debitas egeriſſis?*

Non dubium eſt, quin aliqui pii occurrant, qui quod officii ſui eſt, obſervant: Sed & multi inveniuntur, qui non putant, illos legatos Dei eſſe, & à Chriſto mitti, juxta illud: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit, Luc. 10, 16. alias promptius iſdem obſequerentur, & verba eorum acciperent, non ut verbum hominum: ſed ut vere eſt verbum Dei, 1. Theſſ. 2, 13.

Quia vero hoc ipſum à plurimis non fit, facile cōſtat, quod illi miniſtros verbi, ejuſdemque præcones non pro legatis Dei æſtiment. Plurimi enim dicunt: manda, remanda, Eſa. 28, 10. nec judicantem Spiritum S. ferre volunt, Gen. 6, 3. hinc illi queri coguntur: Quis credit auditui noſtro? Eſ. 53, 1.

Quando peccata & flagitia debito zelo taxantur: quando ad ſobriam, piam & juſtam

vi-

vitam admonentur, præfracte dicere amant: Quis ostendit nobis bona? Pfal. 4, 7. Quod si vero crederent, præcones verbi Dei legatos esse, & quæ loquuntur, quasi sermones Dei loqui, 1. Petr. 4, 11. non modo auditores sed & factores verbi forent, Jac. 1, 22. considerantes, quod verbum quod auditur, non vero factis demonstratur, & gravius damnet Luc. 12, 47. & ejusmodi homines judicaturum fit die novissimo, Joh. 12, 48.

Genuini Christiani fidelitatem Servatoris, quam hoc ipso Ecclesiæ exhibet, grato animo agnoscere, & videre debent, ne in vacuum gratiam Dei receperint, 2. Cor. 6, 1. Alias non dicet Christus: Ego mitto: sed ego aufero judicem, & Prophetam & senem, Esa. 3, 2. Amos. 8, 11. Ut queri teneamur: signa nostra non vidimus, jam non est amplius Propheta, Pf. 24, 9. væ nobis, quia peccavimus, Thren. 5, 16. Nolite errare: Deus non irridetur, Gal. 6, v. 6. 7. 8.

II. *Judeorum furor em.* Ex illis ait Servator, occiditis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem.

Hæc nefanda ingratitude est, quam legati Christi & verbi præcones à mundo impio expectandam habent. Imprimis notatu dignum est, quod Servator non per gradationem à minoribus afflictionibus ad majores ascendit: sed à majoribus incipit, & meminit,

1. *Trucidationis*, quod nonnullos occident & crucifigent, h. e. per omnis generis ignominiosa & inaudita tormenta è medio sublaturi sint, cujus in Stephano initium fecerunt. Act. 7, 59.

2. *Flagellationis*, in synagogis suis, qua Apostoli affecti sunt, Act. 5, 10.

3. *Relegationis*, quod eos persecuturi sint de civitate in civitatem: sicut Johannes Ev-

angelista anno ætatis 85. jussu Imperatoris Domitiani, ex urbe Ephesina in Pathmum relegatus est, Apoc. 1, 9.

Hanc methodum diabolus semper servavit. Nonne sub persecutionibus Imperatorum gentilium, sanguis Christianorum, qui variis modis impie trucidati sunt, copiosissime effusus est? Quia vero Tyranni tandem deprehendebant, hoc ipso se parum efficere, sanguinem vero profusum, Ecclesiam tantum fecundare:

Nam velut in sylvis decisa repullulat arbor

Et multi ex una veniunt radice nepotes:

Sic quoque surgebant uno de funere centum.

Ut Prudentius hac de re scribit. Tandem occisionis pertæsi, flagellarunt eosdem, & ad lapidinas, & alios Herculeos & ignominiosos labores adhibuerunt, donec tandem in proscriptione, & relegatione in exilium, desierunt.

Eadem fabula à B. Lutheri temporibus, in regno Pontificio acta est. Testis est Gallia, testis est Belgium, testis est Britannia, in quibus instinctu Pontificis multa millia vere fidelium innocenter trucidati sunt. Postquam vero meretrix Babylonica ebria facta est, de sanguine Sanctorum, & de sanguine martyrum Jesu, Apoc. 17, 6. chordas remisissus intenderunt, donec eò res rediit, ut quidem orthodoxi non occidantur, sed solum vertere & in exilium ire jubeantur, sæpe ante occasum solis, vel aliud spatium præscriptum, relictis ut plurimum omnibus substantiis, & quod miserandum est, carissimis pignoribus atque liberis. Hæc nihil aliud, quam mors lenta, quæ paulatim hominem & quotidie quasi morti tradit, 1. Cor. 15, 22.

ubi interim cum Elia suspirare tenetur: Suf-  
ficit nunc, Domine, tolle animam, 1. Reg.  
19. v. 4.

*Hic examina te, mi Christiane! utrum  
ipse animo ejusmodi maligno & sanguina-  
rio in verbi præcones quandoque affectus suo-  
ris?*

Equidem tantam tyrannidem, qua Ju-  
dæi legatos Dei persecuti sunt, non est,  
quod hodie illi ab Auditoribus suis perti-  
mescant. Sed *spiritualiter adhuc hodie sit*,  
dum inveniuntur, qui pastores suos odio  
habent, ut Achab Micham, 1. Reg. 22. v. 7.  
tales coram Deo homicidæ sunt, 1. Joh. 3.  
v. 15. sive calumniis eosdem onerant, iis in  
locis, ubi animadvertunt, id ipsis exitio fore,  
sicut Doeg Abimelechum ita sugillavit apud  
Saulem, ut morte multatus fuerit, 1. Sam.  
22. v. 9. id scriptura lingua percutere vo-  
cat, Jer. 18. v. 19. sive crucifigunt ipsos, de  
die in diem animam justam iniquis operi-  
bus cruciantes, 2. Pet. 2. v. 8. sive imminu-  
unt mensuram, & augent siclum, & suppo-  
nunt stateras dolosas, Amos. 8. v. 5. h. e. no-  
vas excogitant usuras & vectigalia, quibus  
res annonaria difficilior redditur, & verbi  
ministri cum Præceptoribus scholarum iis-  
dem implicantur, ut bonam salarii sui par-  
tem in curiam deferre teneantur. Id in lin-  
gua Romana, *flagellare ammoniam* vocant:  
Et si rem recte expendas, grave sane flagel-  
lum est, quod multis lacrymas exprimit, Sir.  
35. v. 25.

Sed & non adeo rarum est, ut illi, si ni-  
mis liberaliter flagitia reprehendant, plane  
ab officio removeantur, & in exilium mit-  
tantur, sicut Amasias ad Amos dixit: Hæc  
tu videns, abi, fuge in terram Juda: & com-  
ede ibi panem, & prophetabis ibi, Amos 7.  
v. 12.

Verum ut olim David contumeliam fer-  
vorum suorum graviter vindicavit, 2. Sam.  
10. v. 4. Sic & Deus fervorum & legatorum  
suorum opprobria severissime vindicatu-  
rus est, quibus ipse læsus & injuria affectus est.

III. *Innocui sanguinis valorem.* Id facietis,  
inquit Christus, occidendo, crucifigendo,  
flagellando, & persequendo: ut veniat super  
vos omnis sanguis justus, qui effusus est su-  
per terram, à sanguine Abel justii, usque ad  
sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem  
occidistis inter templum & altare.

*Hæc verba horrenda sunt.*

Judæi tempore Christi, neque Abelem,  
neque Zachariam filium Barachiæ occide-  
rant: sed dudum ante factum fuerat. Et ta-  
men, quia vestigiis majorum suorum insi-  
stebant, & Prophetas Dei persequebantur,  
hoc ipso eos non modo reatum sanguinis à  
se effusi, sed & quod à majoribus suis du-  
dum profusum erat, incurrere, Servator as-  
severat. Visitat enim Deus iniquitatem pa-  
trum in tertiam & quartam generationem,  
Exod. 20. 5. Hoc non exclusive intelligen-  
dum est, quasi poena in tertia & quarta ge-  
neratione desinere debeat: Sed ut Chryso-  
stomus monet, *ideo fit mentio tertiæ & quar-  
tæ generationis, quia usque ad tertiam &  
quartam progeniem eorum, quorum imitan-  
tur vitam, filii parentum possunt videre.*  
Quando vero nepotes porro vestigiis pa-  
rentum insistent, & non modo turpitudi-  
nem eorum adæquant: sed & nequiores e-  
vadunt, dum mensuram impleverint, ut Ju-  
dæi fecerunt, poena quoque eosdem comi-  
tatur, & vindictam exercet in eos, qui pec-  
catorum rei facti sunt. Deus enim odit pec-  
cata odio æterno, eaque vindicat, ubicunq;  
offendit, sive in parentibus, sive liberis, sine  
personarum respectu, Pl. 5. 5.

*Hic*

Hic inspicias velim te & probes, an fortassis & ipse in juvenute quid intriveris, quod liberis tuis jam excedendum est?

Nemo hic se facile purgitare & dicere poterit: Purus sum à peccato, Prov. 20. v. 9. Sanguinem quidem innocentem non puto, quenquam effudisse: interim tamen *coram Dei oculis, non sine reatu sanguinis sumus*, sed cum Davide dicere tenemur; Libera me de sanguinibus Deus, Ps. 51, 16. nec dubito, quin adsint, qui proximum falso detulerint, ut ille in magnum malum, vel etiam in vitæ discrimen adductus sit, sicut Judas cum Christo ita egit, Matth. 26. 15.

Quot eorum sunt, qui peccarunt ut Onan, Gen. 39, 9. sive foetum in utero læserunt, Exod. 21, 22. aut dormientes oppresserunt infantes, 1. Reg. 3, 20. aut proximum fame interire siverunt, cum tamen juvare eundem potuissent? Hi omnes sanguinis rei facti sunt. Qui enim fratrem suum viderit necesse habere, & clausit viscera sua ab eo, homicida est, 1. Joh. 3, 17.

Qui igitur se reum hic deprehendit, causam habet cum Davide Deo supplicandi: Domine delicta juventutis meæ, & rebellio nem meam, ne memineris, Psal. 25, 7. 8.

Nisi hoc fiat, Deus peccata parentum in liberis visitat, ut illi conqueri cogantur: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt, Jer. 31, 29. Ideo apprime cavendum est, ne loco benedictionis maledictio filiis relinquatur, quod fit, si audire nolimus vocem Domini Dei nostri, hinc illæ lacrymæ! Deut. 28. v. 15. & seqq.

De Secundo.

**P**ergemus nunc ad alteram partem, *281507708107*, sive *notitiam Christi*, contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

1. *Tanquam ministerii fundator.* Ecce, enim, inquit, ego mitto ad vos, Prophetas, & Sapientes, & Scribas. Hoc in specie de Apostolis intelligendum est, uti Luc. 11. v. 49. explicatur. In genere vero de omnibus fidelibus verbi præconibus dictum est, usque ad diem novissimum, qui ordinaria vocatione gaudent, & à Christo mittendi sunt, si officio suo cum fructu præesse debeant. Ideo enim in cælos ascendit, ut Ecclesiæ porro præesset, & quosdam quidem daret Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores: usque ad diem extremum, Eph. 4, 11.

Vocat autem verbi præcones, quos misurus est

1. *Prophetas*, non hoc sensu, quod tanquam Prophetæ V. T. futura prædicere debeant, hi enim usque ad Johannem modo prophetarunt, Matth. 11, 13. sed ideo vocat eos Prophetas, quia sermoni prophetico insistant, 2. Pet. 1, 19. & nihil extra dicunt, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses, Act. 26, 22. quo prophetia eorum sit, secundum rationem fidei, Rom. 12. v. 6. Quamvis multa quoque prædixerint, ut Paulus de Antichristo, 2. Thess. 2, 3. De illusoribus, qui ante diem novissimum prodibunt, 2. Pet. 3, 3. & in specie, de conditione Ecclesiæ, sicut Johannes in Apocalypsi, quæ partim impleta sunt, partim vero suo tempore implebuntur, quæ pater posuit in potestate sua, Act. 1, 7.

2. *Sapientes*, qui verbum veritatis recte secare possunt, 2. Tim. 2, 15. & sciunt, quando canticum Mosi & canticum agni cantare debeant, Apoc. 15, 3. ut de thesauro suo proferant vetera & nova, sicut doctus pater familias, Matt. 13, 52. quo pauperes evangelizentur, Mat. 11, 5. Impiis vero, qui rarius

de penitentia cogitant, lex acuatur, utrum respicere velint, a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur, ad ipsius voluntatem, 2. Tim. 2. v. ult.

3. *Scribas*, quia a puero sacras literas didicerunt, ut Timotheus, 2. Tim. 3. 15. & juxta typum sacerdotis summi Levitici iudicium nempe Urim & Thumim in pectore gerunt Exod. 28. 30. Antequam enim loquaris, discendum est, Sir. 18. 19.

Unde a praestantes hi viri veniunt? a quo mittuntur? A nemine alio, nisi a Jesulo recens nato:

Ni natus hic infantulus,  
Fuisse orbis perditus,  
Hæc est salus cunctorum.

Wår uns das Kindlein nicht gebohrt/  
So wårn wir allzumahl verlohrt/  
Das Heil ist unser aller.

Grato igitur animo in signe hoc Dei donum recolamus, eique gratias agamus. Per illos enim regnum Dei dilatatur, auditorumque salus promovetur, ut seipso salvos faciant, & eos, qui se audiunt, 1. Tim. 4. v. ult.

II. *Tanquam disperforum congregator*, propterea ait ad Judæos: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluiti.

Hæc congregatio describitur nobis:

1. *Categorice*. Volui enim te, inquit congregare q. d. veni non exitium tuum, sed salutem tuam quærere, tanquam minister circumcissionis, ad confirmandas promissiones patrum, Rom. 15. 9. sed ut populus es, qui semper errat corde, Psal. 95. 5. & graditur in via non bona, post cogitationes suas, Ef. 65. v. 2. ita etiam gratiam meam abjecisti, nec sub alis meis congregari voluisti: ideo, ex te perditio tua Israel, Ose. 13. v. 9.

Idem adhuc hodie cœlestis noster Immanuel ergate, & me & unumquemque Christianum facit, officium enim ejus est colligere. Hinc ipse ait: Venit filius hominis quærere & salvum facere, quod perierat, Luc. 19. v. 10. Ezech. 34. 16.

*Hoc multis modis præstat.*

Colligit enim nos 1. *Per ministerii consolationem*, Matth. 11. 28.

2. *Per Sacramentorum distributionem*. In baptismo erim tanquam furculi stirpi inferimur, Rom. 11. 19. ut consortes fiamus divinæ naturæ, 2. Pet. 1. 4. In S. cœna vero cum ipso unimur ut nos in illo & ille in nobis maneat, Joh. 6. 56. ut neque mors, neque vita nos ab illo separare possit, Romaa. 8. v. 35.

3. *Per paternam castigationem*, Esa. 26. v. 16.

4. *Per pœnitentiæ prædicationem*, Jer. 3. v. 12.

5. *Per beatam dissolutionem*, Esa. 57. vers. 2. Collectio hæc maxime fiet die novissimo, Matth. 25. 32. Matth. 24. v. 31. Johann. 17. v. 24.

2. *Metaphorice*, sub imagine gallinæ, quæ affectum suum declarat:

1. *Diligendo* Gallina enim propter pullos sæpe famem & sitim sustinet, ne illi deficiant: præcipue vero in terra cum illis residet, donec volatu sese sursum ferre possint: Sic & filius Dei nostri causa formam servi induit, Phil. 2. 7. nobisque fratribus suis per omnia assimilatus est, excepto peccato, ut misericors fieret, Heb. 2. 17. Esuriivit, & sitiit, Matth. 21. v. 18. Joh. 4. 7. c. 19. v. 28. contristatus est, & lacrymavit, Matth. 26. 37. Luc. 19. 41. ut infirmitate ejus firmiores redderemur, & omnia in eo possimus, Phil. 4. v. 13.

2. *Colli-*

2. *Colligendo*. Sic Christus postquam ex ore Satana per passionem suam nos liberavit, Esa. 53. v. 8. itidem per ministros suos colligit nos clamans: State super vias & videte, Jerem. 6. v. 16. hinc apparet, quod non delectatur in perditionibus nostris, Tob. 3. v. 22. sed vult omnes salvos fieri, 1. Tim. 2. v. 4.

3. *Nutriendo*. Quod ipsum Servator nobis præstat, nutriens nos

1. *Cibo corporali*, quando annum coronat benignitate sua, Psal. 65. v. 12. & educit panem e terra, Psal. 104. v. 14. ut vescentes saturemur, Joel. 2. v. 26. Psal. 145. v. 15.

2. *Cibo spiritali*, qui est verbum ejus, quo animæ nostræ sustentantur, Esa. 38. vers. 16.

3. *Cibo sacramentali*, quando nos corpore & sanguine suo in sacra cœna reficit, de quibus ipse ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, Joh. 6. s. 4.

Quemadmodum igitur pulli cibum, quem ipsis gallina granulatim præbet, cum desiderio appetunt: sic & nos cum animæ desiderio Christum accedere debemus, quando hunc spiritualem cibum in ecclesia distribuit, Luc. 1. v. 53.

4. *Contegendo*, ne frigore, æstu, aut pluviiis lædantur. Sic & Christus fideles suos abscondit in tabernaculo suo, & protegit in die malorum, Ps. 27. v. 5. ne vehementer moveantur, Psal. 62. v. 3. Ps. 36. v. 8.

5. *Defendendo* contra accipitrem, canes, feles, idque cum discrimine vitæ; vespera ingruente in nidum eosdem deducit, & aulis suis fovet. Sic Christus semetipsum pro nobis dedit, ut salvaret nos ab inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos, Luc. 1. v. 71. Quin adhuc hodie Salvator noster in tempore tribulationis est,

Jer. 14. v. 8. qui sibi confidentes non sinit tentari supra id, quod possunt, 1. Cor. 10. vers. 13. Sed

In luctibus  
Servat Deus,  
Solatur ad mensuram:  
Hæc sit tua  
Fiducia,  
Te derelinquet nunquam.

Er hilft auß Noth  
Der fromme Gott/  
Und tröst die Welt mit massen:  
Wer sich nur vest  
Auff ihn verläßt/  
Den wil er nicht verlassen.

Tandem vesperâ vitæ ingruente & illos in nidum deducet, corpus in sepulchrum, ut in illo securè quiescat ad diem novissimum: animam verò in paradysum, aut in celestem Hierosolymam, ubi nullum tanget illos tormentum, Sap. 3. v. 1.

III. *Tanquam ingrati tudinis vindicator*. Pullus facile percipit vocem gallinæ; sic & æquum fuisset, ut Judæi Christo glorienti locum reliquissent: verum frustra invitavit eos, idè Christus ait: Noluistis, eoque ipsis pœnam inobedientiæ denunciatur. Ecce, inquit, domus vestra relinquetur vobis deserta &c.

*Gemina pœna his verbis exprimitur, qua Judæos manere debeat.*

1. *Corporalis & politica*, quâ desolatio indigitatur. Deus enim in more habet, ut impium mittat contra impium, Ec. 1. 2. Quia igitur Judæi omnem gratiam, quam ipsis non modo per Prophetas, sed & per filium suum obtulerat, spernèbant, & quasi con-



culcabant: Romanos illis immisit, in similitudinem aquilæ volantis, qui ipsos variis modis afflixerunt, & tandem in totum terrarum orbem disperferunt, Deuteron. 28. vers. 47.

Nec saltem pœna hæc inhabitatores tetigit, sed & regio ipsa miserè devastata & desolata est, templo quoque magnificentissimo funditus deleto, ut lapis super lapidem non manserit, Luc. 19. v. 44. Et quamvis Julianus Apostata, vaticinia Christi, quem oderat, irrita facere magnopere conatus sit: attamen frustra egit, non enim saltem terræ motu, inceptæ operæ disjectæ sunt, sed & igne cœlitus delapso instrumenta conflagrarunt, ut Judæi frustraneum laborem se agere reluctante numine cœlesti agnoverint, consilium ædificandi abjecerint, im-motis manentibus Christi verbis, Luc. 21. vers. 33.

Quod si verò nos similem cum Judæis pœnam subire nolimus, peccata similia declinanda sunt. Viam perditionis & iniquitatis vitemus, Sap. 5. v. 7. nempe luxuriæ dissolutionem, 1. Petr. 4. v. 4. Contra verò viis iustitiæ semper insistentes oremus: Doce me facere voluntatem tuam, Ps. 143. 10. Ad eremum enim producit omnem terram iniquitas, Sap. 6. v. 1. Job. 18. v. 21.

2. *Spiritalis seu Ecclesiastica.* Minitatur enim ipsis Dominus, quod faciem suam ab ipsis abscondere velit, ut à modo eum videre non debeant. Hoc est, percussurum se illos amentia & cœcitate, & stupore mentis, Deut. 28. v. 28. ut nunquam ad scientiam veritatis pervenire debeant, 2. Tim. 3. v. 7. Hoc abunde in iis impletum est. Ad eò enim occæcati sunt, ut scriptura ipsis sit & maneat, sicut verba libri signati, Esa. 29.

v. 11. oculis suis non vident, auribus suis non audiunt, Esa. 6. v. 10. tandem incident in puteum, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11. sed ignis & ligna multa, Esa. 30. v. ult. ut urantur & sentiant usque in æternum, Judith. 16. v. 21.

Perspicimus hinc politiam aliquam tamediu in flore esse, & omnimodâ benedictione redundare, quamdiu Prophetæ, sapientes, & scribæ Christi cum illa habitant. Hoc enim modo semper sunt, qui verâ pœnitentiâ ad Jesulum recens natum colliguntur, qui *interponunt sepem, & stant ad rupem* am pro terrâ, ne dissipetur & desoletur, Ezech. 22. v. 30. Quando verò Stephanus lapidatur, & alii honoratiores Hierarchiæ Ecclesiasticæ & politicæ decedunt, indicium id ipsum est, Deum gratiâ quoque suâ abiturum esse, Væ autem eis, cum recessero ab eis, inquit Dominus Os. 9. v. 12. Benedictio enim evanescit, & in *maledictione illi maledicti sunt, hic temporaliter*, ut omnia sub manibus pereant, Mal. 3. v. 9. Et *ibi æternaliter*, quando eos Christus, ut maledictos à se ablegabit, in ignem æternum, Matth. 25. 41. Osculamini igitur filium, ne quando irascatur, & vos percreatis de via, Psal. 2. v. 12.

Servator ô dulcissime,  
Qui natus es ex virgine,  
Averte nobis orcum!  
Amen.

O du süßer Jesu Christ/  
Dass du Mensch gebohren bist/  
Behüt uns für der Hölle/  
Amen.

\* \* \*